

No. 384. 1322. 15. Sept.

*B. Withego II. und das Capitel bestätigen eine Stiftung des Domherrn Heinrich von Breslau für das ewige Licht in der Domkirche und zu Aufbesserung des Einkommens einer niedern Pröbende sowie des Altars des h. Stephanus.*

In nomine domini amen. Withego dei gratia episcopus ecclesiae Misnensis universis Christi fidelibus ad quos praesentes litterae pervenerint, salutem in domino sempiternam. Cum a nobis quod iustum est petitur, tam vigor aequitatis quam ordo expostulat rationis, ut id per sollicitudinem nostri officii ad effectum debitum deducamus. Noverint igitur universi, quibus nosse fuerit oportunum, quod cum hospitale nostrum Misnense de censu in villis Scassowchin<sup>a)</sup> et Scup<sup>b)</sup> sito unum talentum denariorum ad unam minorem praebendam et XXX solidos denariorum ad lumen perpetuum nostrae katedrali ecclesiae annuatim ministrare teneatur, dictus quoque census in eisdem villis esset adeo desolatus, quod nec praebendae praefatae talentum suum nec ad perpetuum lumen XXX solidi possent aliquatenus ministrari. Ne ergo praebenda et lumen in suis ut praemittitur amministrationibus defraudarentur, honorabilis vir Henricus de Wracizlauia dictae Misnensis ecclesiae canonicus, tunc existens magister hospitalis praedicti, supradictum censum in praedictis villis Schassowchin et Scup situm de nostra et nostri capituli licentia et consensu pro certa pecunia vendidit et apud Hugonem de Tubinheym pro eadem pecunia de praefatis villis recepta et eidem Hugoni iam soluta censum quinquaginta duorum solidorum legalium denariorum situm in Trebticz<sup>c)</sup> comparavit iusto emptionis et venditionis interveniente titulo, videlicet XLVIII solidos solvendo de duobus mansis, quos tenent Hermannus et Jenseo, item quatuor solidos de quadam superfluitate agrorum, quam tenet Martinus, annuatim solvendo, assignando quidem et donando de praefato censu XXX solidos ad lumen perpetuum, ad praebendam vero XXII solidos cum aliis servitiis eidem censui annexis perpetuo solvendis provide deputavit. Item quod altare sancti Stephani in nostra katedrali ecclesia fundatum in redditibus institutionis suae primaevae penitus deficiens multis annis stetit inofficiatum, ut dictum altare suis consuetis ac debitis in antea non destituatur officiiis, praefatus Henricus de Wracizlauia pia ac devota motus intentione apud Arnoldum de Boir pro certa sua pecunia eidem Arnoldo soluta censum XXIII<sup>or</sup> solidorum denariorum legalium in villa Trebticz situm de uno manso, quem tenet Sifridus, solvendo rite et rationabiliter comparavit, dictumque censum ad praefatum altare sancti Stephani inde officiantum perpetuis temporibus assignavit, supplicando nobis humiliter et devote, quatenus huiusmodi censum, videlicet LII solidos legalium denariorum in Trebticz situm cum servitiis annexis iuxta voluntatem et ordinationem suam superius expressam ad lumen perpetuum et minorem praebendam donare et appropriare, ad altare quoque beati Stephani XXIII<sup>or</sup> solidos de manso in Trebticz, quem nunc tenet Sifridus, solvendo donare similiter et appropriare dignaremur. Nos qui ex officii nostri debito cultum divinum augere et pia opera promovere debemus, quod a praedicto Henrico de Wra-

a) Skässgen, Eph. Grossenhain. b) Skaup, Par. Skässchen. c) Treptitz, Par. Cavertitz.  
COD. DIPL. SAX. II. 1.